

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
A U R O ,

D196

Quam
Consensu & adprobatione Am-
pliss: Facultatis Philosophi: in illustri Re-
gia Academia Aboënsi;

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO,

Dn. PETRO HAHN,
Scient: Nat: Profess: celeberrimo
& Biblioth: Regio inclyto,

Candido bonorum Examini debitâ reverentiâ

Submittit

SVENO PJJJLGRÆN.

Wexionensis.

Ad diem, si Deo visum fuerit, 29. April. 1705.
Loco horis que ante meridiem consuevis.

*Admodum Reverendis & Amplissimis,
Præclarissimis & Cla.*

Dn. Mag. ANDREÆ INGERMAN,
Ecclesiarum, quæ Deo in Stöthery & Trähery
colliguntur Pastori jam dudum meritissimo, Sunner-
boénsium Præposito Gravissimo, Patrono &
Mæcenati, submissio observantiæ cultu
perpetim devenerando.

Dn. Mag. LAURENTIO URMORFEN
In Angelstad/Stungby & Kånna Pastori lon-
gè meritissimo, itidem Præceptorum olim laudatissimo,
Promotori & Evergetæ ut benignissimo, ita sub-
missio zelo obnixè suspiciendo.

Dn. PETRO SPÆBELL
Agunnarydensium Pastori vigilantissimo, ut
Fautori certissimo; ita quibusvis officiis
piè prosequendo.

Dn. BERGERO GYSTORPHIO,
In Agunnaryd / per multos annos, Com-
ministrum ut laboriosissimo; ita meritissimo,
Fautori veteri plurimum
honorando.

*Exercitium hoc quaecumq; Academicum;
tatis adpreccatione, in humilime ac ob-
commendationem offert ac dedicat*

AUCTOR &

*Plurimum & Per quàm Reuerendis
rissimis DOMINIS,*

Dn. Mag. JOHANNI COLLIANDRO,
Ecclesiarum, Deo in Skatelöt / Torsåhs &
Herlunda Collectarum Pastori Celeberrimo, adja-
centis Districtus Præposito dignissimo, Præceptori quon-
dam fidelissimo, Promotori & Mæcenati humili
mente prosequendo.

Dn. Mag. CAROLO WESSMAN,
Pastori in Nyssby & Tutary meritissi-
mo, Promotori & Benefactori omni
efficiorum genere indefessè
venerando.

Dn. PETRO KOMSTADIO,
Templi Cathedralis, quod Wexionix est, Sa-
cellano optimè merito, Fautori quovis
pietatis ardore colendo.

Dn. NICOLAO NYDELIO,
Sacellano in Bosnäsöo adtentissimo, ut quon-
dam, per quinquennium Præceptori, absq; ulla meæ
compensatione fidelissimo, ita quibusvis obsequiis
ad extremum vitæ halitum demerendo.

*cum benedictionis divina & omnigenæ felici-
sequentissimæ mentis declarationem, suisq;*

RESPONDENS.

VIRO

Plurimum Reverendo & Doctissimo Domino,

Dn. MATHIÆ
TAMMELINO,

Pastori in Mousherviv meritissimo & Vigilan-
tissimo, Nutritio suo propensissimo,
omni honoris & officii cultu inde-
finenter prosequendo

FELICIA QUÆVIS!

Æquum esse ut talentum ad dictum Sal-
vatoris cum usura reddatur, lubens
confiteor. Cum autem Pl. R. Dn. Pa-
stor è Polonia redux; tot tantaque in me
contulerit beneficia, quot ac quanta nec
elogiò nec debitò servitiò pensare mea un-
quam poterit imbecillitas: nihil præter vo-
ta devota mihi relictum esse cerno. Si ta-

fectum

men in Spontaneum animi devinctissimi iudicium; hunc, quamvis deformem, ingenii fœtum Tibi consecrandum proferre aulim: Tua sæpius explorata benignitas, ceu spero & rogo, eundem, facies ejus licet ab Aure sit diversissima, desideratissimo suo favoris sinu excipiet, exceptumque fovebit. De cetero ut Ecclesiæ commodis quam diutissimè felicissimèq; vivas, florentissimæ familiæ perpetua solatii ac splendoris fomenta suppedites, tandemque anxis, meritis & gloriâ onustus hinc ubi emigrabis, inter cœlites corusces sine intermissione summum Venerabor Numen qui sum

Plurimum Reverendo Dno. Pastori

Obsequentissimus
SVEN. Wihlgreen.

Ad

*Juvenem, literarum humanitatisq; cultu-
ra ornatissimum,*

Dn. S V E N O N E M
P Y H L G R E E N I

De A U R O doctè & ingeniosè differentem,
Amicum meum singulariter dilectum, hoc
ἐπιγράμμα ἀποχρηδίαζόμενος,
deproperavi.

Auri sacra fames, & amor maledictus
habendi,

Complures vexas, diseruciatque viros,

Et damno alterius ditescere gaudet avarus,

In mundo fluxas dum sibi quarit opes.

*Non decet hoc P y h l g r e e n auri qui quarit
aceruum,*

Non aurum damnatum, quarit at ipse suum,

L. M:q;

LAUR. TAMMELIN,
Math. Prof.



DEO DUCE.

§. I.



Gregia hæc mundi corpora, penitus considerantem, in sui admirationem rapere, mirum non est; Insuper quippe eorū multitudinem quis numerabit, bonitatem æstimabit virtutesque explorabit? Profecto non tantummodo Cœlum, verum etiam totum hunc terraqueum globum ornavit, & copia rerum quasi contexit Conditor; Imo videntur tot mundi species, jussu Creatoris, prodisse, ut non amplius invenirent loca supra terram: Sed in ejus interiora detrusæ suam exercerent œconomiam. Porro nec vilissimas abscondidit natura, hæc namque in lucem fortassis nunquam venerant, verum preciosissimas & nobilissimas, quarum usu

A carere

carere: genus humanum commodè non posset; Ejusmodi sunt metalla, singula insignem & necessariam utilitatem adferentia. Et sanè excusanda videtur hominum avaritia, quod terram aperuerit & in eruendis metallis communis parentis sinum perfodiat & laceret. Horum autem omnium naturam investigaturo, magna vix sufficeret eruditio, ne dum parva aut ferè nulla, quæ mihi est, ideoque unum, nempe metallorum principem, *Aurum*, quod inter alia ad vitam hominum tuendam datum est, paucissimis, habita ratione supellectilis sat curtæ, tractandum & ventilationi publicæ sistendum suscepimus.

§. II.

Recceptæ methodo licet convenientissimum videatur ab *ονοματολογία* initium facere: Cum tamen instituti ratio exposita, ut brevitati studentes, rei ipsi majorem impendamus curam; Si istam Philologis reliquerimus, vitio nobis verti non speramus & sic rectâ ad *πραγματολογία* transitum facimus, effati interea Aristote;

stotelis memores dicentis: Si quis à principio res ut nascentes inspexerit, hoc modo optimè illas cognoverit. Cui, hæc in parte, obsequia præstituri, essentialem *Auri* definitionem sic se habentem damus: *Aurum est metallum perfectissimum, gravissimum & splendidissimum, ex mercurio perfectissimè excoctò, atque sulphure rubeo præstantissimo, & sale optimo genitum.*

§. III.

QUæ omnium oculis obversantur, quamvis cognitu sint jucundissima, hisce nihilominus animus humanus in altum surgens, nunquam latior aut agilior, quam in arduis & magnis, non acquiescit; sed vulgaria & ante pedes posita spernens terræ cryptas non modo, verum etiam aëra, nubem, imò ipsum Cœlum penetrare tentat; qua ratione, quò profundius abdita, hoc anxiori curâ investigantur metalla. Clariss: itaque Sperl. doctrinam hanc, non immeritò Arcanum Arcanorum nominavit; Cum enim visceribus terræ involuta sint, naturæ eorum nos ferè latent, undè fit, ut, quò obscurior est intel-

lectio, difficilior sit elocutio, quanto etiam nobilius metallum, tantò rarius invenitur. Hinc apparet Auri indolem expositurum, præter doctissimorum scripta & probabiles rationes, quibus nitatur, vix habere: Si verò Auri fodina nostris in regionibus daretur, experientia forsitan multa confirmaret, quæ jam non nisi probabiliter experimenta aliorum demonstrant. *Aurum* esse metallum, & hoc genus analogum, adserere non dubitamus, cui quidem de Auro, Argento, cupro, ferro, stanno & plumbo essentialiter, sed tamen inæqualiter dici convenit. Cumque Divinus Architectus, quò consisteret rerum duratio, sapienter ordinaverit, ut alternis legibus, generatio corruptionem, & corruptionem nova exciperet generatio, staretque ordo mundi & perfectio in hac admiranda rerum alternatim sese consequentium vicissitudine; idque mediante semine, cujus virtute & efficaciâ, species corporum, per naturalem propagationem, interitum & ruinam anticiparent; Ideoque & *Auro* peculiare seminium & ab animalium, plantarum

tarum ceterarumque rerum naturalium
 semine distinctum, πρώτως quin insit, ut-
 pore perfecto, cum etiam δευτέρως im-
 perfectis competat, neminem inficias
 iturum existimamus, quod nihil aliud est
 quam vapor Salino - Sulphureo - mercu-
 rialis: non tamen Sale minerali, Sulphu-
 re aut mercurio actu constat, sed in hisce
 tamquam genuinis subjectis residet virtus
 seminii. Hic seminalis vapor loca calida
 perlabens, quorum parietibus Sulphuris
 lentor & pingvedo adhæret, huic succo
 conjungitur, quem postea secum subli-
 mat, abique liquor velut in quandam
 spermaticam spumositatem, quæ ulterius
 veniens ad loca, ubi stabulatur subtile
 Sulphur & purioris terræ massa huic
 juncta, *Aurum* efficit. Hinc liquet A-
 ristotelicorum opinionem absurdam es-
 se, quâ statuunt Aurum & cetera me-
 tallâ ex vaporosa exhalatione ortum de-
 ducere, quando videlicet vapor subter-
 raneus, propter siccam exhalationem,
 quæ sursum ducit, coarctatur, veluti ros,
 in minimas guttas: Cum hac tamen dif-
 ferentia, quod in reris generatione, se-

paretur dicta siccitas; In metallorum autem ortu segregatio illa non fiat; Sed simul comprehendatur & coaguletur sicca exhalatio. Quæ sanè sententia de metallorum generatione, quasi de meteoris, loquitur. Porro pretiosum hoc Semen non fovent fertiles agri, non ridentia prata nec fructiferæ arbores; Sed illud terra sterilis ad montium radices plerumque tegit; Istitis enim multæ insunt cavitates, in quibus, sublata metallorum particula congregari possunt; terræ autem sterilitas exindè provenit, quod succus alimentitius, qui ad herbarum & plantarum nutrimentum à natura deputatur, aliò divertatur scilicet ad materiam metallo præparandam. Sed ut *Aurum* producat longo tempore opus est, quoniam plus temporis in nobilibus quam ignobilibus formandis impendit natura, majoremque curam ad eorum perfectionem adhibet.

§. IV.

EX prolatis jam constat seminium *Auro* competere, cujus *causa efficiens principalis & universalis* DEUS Opt: Max: omni-

omninò dicendus, qui non modò *Aurum* primò produxit, sed etiam ad dictum; Crescite & multiplicamini &c. vim huic, utpote corruptibili, in suâ specie sese multiplicandi indidit; Tum etiam *Astra*, quæ cum in hæc inferiora omnia agant, non parum hujus generationi interviunt, quamobrem, frequentiores notantur metallorum fodinæ, in illis montium partibus, quæ Soli meridiano aut orientali objiciuntur; Sol enim cum reliquis stellis, específicas suas vires ejaculatione perpetua communicat aëri, qui hæc mox in aquam derivat, sicque naturali influxu seminio terrestri inseritur, atque ab igne subterraneo in suam perfectionem redigitur. *Materiam ex qua remotam* quatuor elementa, *propinquam* sal, sulphur & mercurius constituunt; nam vix aliquod corpus datur è quo non eruant Chymici tres distinctas naturas, quarum subtiliorem & volatiliorem, spiritum seu mercurium vocant, crassiorem & pinguiorem oleum vel sulphur, maximè verò fixum sal nominant. Si autem quis regetat in Auro

sal & sulphur non dari, quod proprietates eorum non sine conspicuæ, cum insipidum non solum sit, verum etiam nec inflammatur: Tunc dicimus quod si arte spagyrica à ceteris, sulphure scilicet & mercurio, cum quibus sororio & penè indissolubili vinculo conjunctum est, separetur, aliquod vitriolo haud dissimile, nec etiam suo carenti sapore perspiciatur. *Aurum* præterea coctum aquæ saporem quendam communicat, qui satis clarè de suo testatur subjecto. Inflammabilitatem urgentibus reponimus: Licet sulphur sit primum *Φλογισόν*, tam fixum tamen reddi posse, ut flammam amplius non concipiat. Tradunt, præter hoc, periti, quibusdam in locis rubri sulphuris genus effodi, quod nec ardet nec foetet, sed ceræ instar igni admotum fluit. Mercurialem denique materiam *Auro* inesse, nemo forsitan negabit; istius enim certiora prostant indicia. Hic obiter observemus: Non unum horum ad *Aurum* constituendum sufficere, sed omnia requiri; in iis igitur fodinis, in quibus unum adest, reliqua desunt, *Aurum non generatur.*

D*ifferentia Specifica in data definitione*
 exprimitur, quando *Aurum* nominamus perfectissimum, quod scilicet substantiâ & accidentibus est absolutum, & ad usum optimè comparatum; Quod substantiam mercurialem subtilem habet, naturam ponderosissimam; Quod ignem omniaque ignis examina, sine detrimento vel minimo sustinet; quod amplissimè & facilissimè dilaturatur. Quæ notæ omnes cum Auro competant, omnium gentium consensu inter metalla habetur perfectissimum. Certum quidem est Aurum minus ductile & fragile dari, quod Svecicè *Tronguld* dicitur; Sed hæc non impediunt, quò minus illud nuncupemus perfectissimum: Nam imperfectiones hæc vel ex alterius metalli commixtione proveniunt; vel ex imperfecta ejus elaboratione, cujusmodi Historici tradunt in Tago, Pactolo aliisque fluminibus reperiri, quorum aquæ terram secantes aliqua Auri ramenta prius erodunt ac suffurantur, quam in venis debitam obtineant perfectionem. Hic itaque *ὡς ἐν πηλόδω* notamus, metalla in iis fluminibus non generari,

nerari, quasi ex succorum coagulatione, ut in terra interiori illic producantur; Aqua enim ineptum est creandis metallicis elementum, cum quicquid ex ejus cum terra concretionem oriri potest, nihil aliud quam lurum esse queat.

§. VI.

JAm *Forma* quæ *Auro* specificum suum esse largitur & ejus *particularis causa efficiens* est, dispicienda venit: Sed cum omnem fermè in modum *Formarum* nescius sit animus, sufficiat dixisse, illam *materiæ coævam* & *Auro* in *Thalamis semini* unitam *directricem operationum* extitisse, nè vel in *ferrum cuprum* aliudve *ignobilius metallum* degeneraret, quantumvis plurimi *Chymicorum* doceant non specie sed gradu saltem perfectionis differre metalla, & sic eadem specie formam *Aurum, Argentum* ceteraque informare, quod tamen falsum esse quilibet videre potest; nam quamvis omnia eandem habere materiam, cum remotam, tum propinquam rectè dicatur: Non tamen eandem habent materiam ultimam; neque etiam solum accidentibus

tibus, sed & formâ specifica discernuntur, alia itaque est forma Auri, alia ferri, alia plumbi, quæ materiam illam communem pro sua natura disponit & elaborat, quod ex operationibus & effectis patet. *Instrumentales causa* sunt calor & frigus, quorum operâ condensationes & resolutiones fiunt. *Finis* est vel absolutè *ultimus*: Gloria DEI; vel in suo genere ut sit pars mundum inregrans. *Intermedius* hominum multiplex utilitas; Quid enim non potest Aurum? Ut taceam varia illa ornamentorum genera, quæ ex *Auro* conficiuntur, saltem dico hoc bella componere, hostes profligare, inimicitias tollere, famem avertere & possessores suos innumeris ferè commodis ornare. Si verò aliquandò rixarum & seditionum fuerit incitamentum, id, *Auri* Dominis, non *Auro* tribuendum.

§. VII.

EXpositis pro tenuitate ingenii causis, reliquum est ut affectiones Auri persequamur. Quarum primò occurrit *gravitas*, quâ cetera cuncta vincit metalla: In nihilum igitur evadit assertio Plinii, affir-

affirmantis Aurum pondere plumbo cedere; Docuit enim experientia, illud duplo ferme hoc esse ponderosius & *Aurum* cum plumbo collatum, ut decem ad sex se habere: Sed Argentum vivum de gravitate certamen inire non dubitavit, victum tamen Auro, ut graviori, reliquis omnibus profligatis metallis, locum reliquit; hinc, Auró exceptó, nihil sibi immergi patitur. Summæ hujus gravitatis ratio in paucitate pororum consistit; nam licet fortè admittatur, aliorum metallorum partes ejusdem esse magnitudinis & figuræ, atque etiam earum motus esse similes: quia tamen plures in illis existunt pori, necessariò sunt leviores. Hic observamus *Aurum* maxime compactum, particulis adeo tenuibus, tamque intimo nexu firmatis constare, ut à se invicem dirimi nequeant, quæ arcta partium connexio, meatuumque paucitas corpus solidum reddit & vi externa indissolubile efficit; Undè emergit *Auri* in igne *durabilitas*, sicque ardentissimæ fornaci immissum, nullam sensibilem patitur jacturam: Quia licet

ejus

ejus particulæ, vi caloris agitatae, corpus liquidum fluidumque componant, nullæ tamen ita se jungi separarique ab aliis possunt, ut ab igne arripiantur & in auram evolent, modò *Aurum* purum seu obrizum sit. Hæc partium cohærentia facit etiam ut *Aurum* fusum, aut alio modo calefactum, ceteris metallis acrius urat caloremque diutius conservet: quippe cum ejus meatus valdè exigui sint, partes ignis ita implicantur, ut quamvis celerrimè moveantur, non tamen nisi longo tempore elabi queant. Quò fit ut *Aurum* illas intra se retinendo majorem exerat calorem & corpora utilis admota citius corripiat. Ab hoc partium nexu & mollitie oritur quoque *durabilitas*, quæ tanta est ut unanimi Auctorum consensu, *Auri* uncia una in bracteas diducta, decem terræ jugera tegere possit; densitas enim compactioque partes suppeditant, quæ, cum in profunditate minuantur, in latitudinem excrescunt, peculiaris quoque *Auri* plexus divisionem refugiens, non patitur illas à se mutuo separari, undè quantumvis

malleo, aut alio quodam modo attenuetur & diducatur: partium suarum nexum adhuc retinet, & quamvis demum exiguos quosdam meatus admittat, ita tamen illi implicantur, ut liquoris particulae quaeversum per illud discurrere possint. Hisce accedit summa puritas indè elucens quod attritentium manus nequaquam inficiat, nec alterius coloris lineas sed sui in lapide lydio ostendet, eandem etiam comprobat, quod saepius igne liquatum nihil de suo perdit pondere ut supra innuimus. *Aurum* praeterea non, nisi aliis metallis permixtum rubigine affici, aut aliis metallorum hostibus corrumpi persuasum est. Tandem color *Auræ* Citrinus à sulphure rubeo originem ducens, proximeque ad solis splendorem accedens se spectandum sistit. Hic silentio praetereundum non est, *Aurum* malleo aliove modo percussum exiguum edere sonum; enim enim molle sit & paucos habeat poros facile percussioni cedit, tardeque vicinum aërem suo tremore commovet: Si vero aqua forti dissolutum oleoque Tartari praecipitatum in pulvere

REM

rem redigatur, qui deinde exsiccatum flammam concipit, cumque vehementi fragore abit. Quod exinde fieri putandum; quia omnibus pulveris granulis, eodem momento in flammam conversis, vis illa ignis circumvicinorum corporum meatus laxat, partiumque plexus solvit, ut *Auro* viam faciat, quod tam celeriter erumpens, tonitru fragorem imitatur & fulguvis imaginem refert. Hinc fulgurans *Aurum* lapsius nuncupatur.

§. VIII.

HActenus dicta virtutes *Auri* externas quodammodo produnt, restat ut internas de quibus major est controversia, paucis consideremus. Docent magni nominis Philosophi non modo *Aurum* portabile reddi: Sed gravium etiam morborum præstantissimum esse remedium, præcipuè verò cum corde magnam habere affinitatem ejusque doloribus mederi creditum est, undè effatum illud vulgare: *Aurum* confortat cor. Hanc autem doctrinam durè admodum exagitat subtilis

tilis Scaliger, fœdasque nominat nugas, in cuius suæ assertionis veritatem, varia adducere conatur ratiocinia, quæ imperata brevitatis jam apponere vetat. Huic se associarunt recentiores, perhibentes hoc potabile medicorum *Aurum* merum esse commentum & à circulatoribus ad pecunias lucrandas tantummodò inventum; Si autem maxime concedant aquâ forti resolvi illud posse: Ob ejusmodi tamen misturam insalubre esse & sanitati officere: Segmenta etiam *Auri* cibis admisceri, non quod aliquem habeant usum, sed quoniam ita receptum est, contendunt; Cum enim substantia illius integra maneat, rei medicæ inutile erit. Idcirco istis annumerandum, quæ sumpta neque offendunt neque juvant. At quin DEUS etiam huic nobilissimo corpori suas peculiare implantaverit dotes negare vix poterit, qui non in totum naturæ secreta ignorat; Nam ut à natura *Aurum* vincatur è re non est, nutrimenta quippe in corporis vertuntur substantiam, de medicamentis idem qui postulat, Medicis præter fas, injuriosus censetur, &

si vel *Auro* vis quædam noxia adhaereat, qui venenum præsentissimum in medicamentum vertunt præstantissimum, hanc etiam tollere norunt. Tandem si omninò nullam in medicina haberet utilitatem: Sed ut volunt recentiores, plus nocimenti: Existimamus quod vel aliquis è tot experientissimis, tum in patria, tum extra patriam Medicis, hoc procul dubio dudum manifestasset & imperitiores de isto non adhibendo admonisset, quod cum factum non sit, *Auro* tamdiu in medicina suus relinquendus est usus, donec istius artis periti illud extrudant: Vires enim quæ non cuivis patent, ideo nequaquam sunt denegandæ. De metallorum transmutatione lis est inter eruditos nondum composita: Nemini non notum existimamus Veteres Philosophos pro certo habere, non modò ferrum: Sed etiam quodvis aliud metallum in *Aurum* à Chymicis mutari; extra omnem dubitationis aleam consistit forte ratio hujus mutationis in ipso seminio, Vapore scilicet Salino - Sulphureo - mercuriali, quod cum ceteris metallis *AURUM* principium

habeat commune, non impossibile videtur à Chymicis, per liquorem arte præparatum sordibus sublatis, & ipsa etiam mixtione aliter facta, metallum aliud in *Aurum* commutari posse; Exemplis hujus transmutationis referta sunt antiquorum scripta, quæ forsitan etiam causa fuit, cur Chymistarum multi, metalla gradu saltem perfectionis, non specie, ut supra indigitavimus, differre docuerunt. Verum utut varia hujus transmutationis existent documenta: quo minus tamen hæc sibi persuaderi sinant recentiores, interserunt experimenta, quæ dantur, vera non esse: Sed afferentibus corpus, cujus media pars in *Aurum* conversa est, & reliqua ferrum mansit, respondent vel hoc modo factum: Cum callidus artifex citra connexionis suspicionem, nobilius metallum ignobiliori apposuisset, tingebat totum colore ferri & demum cum demonstraret coram multitudine transmutationem, tantum colorem ferri *Auro* superinjectum idoneo liquore sustulit, undè utraque pars nativo suo colori restituta ignaros fefellit. Vel aliam, nescio quam, frau-

fraudem circa hoc negotium Chymicos committere urgent. Verum si unicum solummodo ejusmodi exhiberetur exemplum, facilius forsan quod velint, obtinerent: Multiplici autem experientia reclamare magis arduum erit. Neutram igitur cuiquam obtrudere sententiam animus est: Sed liberum cuivis, circa hoc, judicium relinquimus. Hæc omnia putamus jam evicisse *AURUM* suo merito ut haberetur perfectissimum, cum natura, id tot & tantis donaverit virtutibus. Perperam igitur faciunt qui *AURO* gemmas quasdam præferunt; non enim hoc fit, quod *AURO* sint meliores: Sed quia rariores & pauciores inveniuntur. Denique cum nulla res detur, quæ non cum aliquibus amicitia; fœdera pangit, cum aliis verò perpetuas inimicitias; ita etiam *AURUM* tanto amore prosequitur hydrargyrum, ut ei commixtum ceteris adligetur metallis & vix ulla arte separari possit: Quo autem amore illud carripit, eodem odio in vaporem Sulphureum fœtidum, fumum plumbi & suc-

cum limonum ardet. Hæc jam sunt,
 L. C. quæ impræsentiarum de *Auro* pro-
 ferre potui, Ingenuè quidem fateor, mul-
 ta omittenda apposita, multaquæ appo-
 menda omiſſa eſſe; Sed nulla non mihi
 deſuiſſe ſubſidia ſcias: Ideoque veniam
 ut des omniaq; , pro more tuo, in melio-
 ra interpreteris obnixè rogo, & ſic *Auro*
 deſtitutus hiſce nec verbulum addit ſed
 gloriam Trinuni dicit.

Additamenta.

I.

In diſiſione Entis in ſubſtantiam & acci-
 dens, ſuſtinet Ens nec vicem generis
 univoci nec analogi.

2.

Absque accidentibus nec eſt, nec agit
 ulla Subſtantia creata.

3.

Dantur in quibusdam Subſtantiis, Acci-
 dentia activa & in quibusdam paſſiva.

4.

Dantur etiam in iisdem accidentia im-
manentia & transeuntia, veteribus Phi-
losophis dicta realia seu materialia & in-
tentionalia seu Spiritualia.

5.

Quædam accidentia incurrunt in sen-
sus, quædam eos fugiunt, illa non hæc
suis designantur nominibus.

6.

Non datur actio in distans sine medio
interposito, licet medium non sem-
per istius actionis producendæ
capax sit.



Ehreborne och Wällårde
 Herz SVEN PIISSORREN
 sitt diupsinniga
 OM GULLET

Sammanfattade Wårck berömligen
 försvarade / yttrade öfwer des fortgång
 sin fågnad således :

Så sällsynt wara tyck; att / Gullet hoo
 ett ågit /

Så rund'ligt deblat uth sig ånt'lig
 billar in /

Att der af nötte haar ett konst tillbundet sin /
 Som i Natursens lopp sig öfwa år benågit.

Men är ett vndran wårdt; ty fast wål måns
 gom felar

Den stiina *Crafs* pung och *Cyri* stålta Sahl:
 Gud dock til en och hwar / man knåppe wål
 sin skahl /

En Guld-wård kårna / Troo / der under nådigst
 delar.

Min obesturne fähr ej sielf-klokt efterapar
 På Guld-wårck detta at afritning gifwa
 kort :

Des Ursprung / åmne med kringstångde
 Födgle - Ort /

Des

Det still-fång åndemål samt följand' egenskaper;
Ej I/ Herr *PHILIP GREEN*/ nått af dyra
sinns gäfvor

I mustig korthet släkt så lyckligt wiffen fram
I denna Ehr *Discurs*, som gör ens lyst-
nad tam/

Att Eder Guld-wicht wäl upwäger *Mammons*
häfvor.

Man sweper billigt in i tystheets dubbte' gömmor/
I meer än tränga skrin Ehet *Pilons* glim-
mand' Arf;

När Wetskap/ Dygd och flit i önskan gif-
wa Tarf

Man fruchtar dyrbarhet i skeneet Gullet glömer.

Med profsteē wanligt är i arten Gullet wöfwa:
De som Ehet sinnes Guld ej haft sig än
bekant/

Att detta så på det en oförbyt' lig Pant/
Som skall Ehet minne friskt uhr glömske-kåstar
wöfwa;

Ej blir det Gullet högt för steen och sägring
wördat/

Som/ då det reddes til/ wäl skilde sig frä
slagg:

Ä andre siidan men geer obehag' lig Agg
Som sin Sool-blänckand' glantz med Koppar-
blänning mördat:

Hwi skall då/ säg/ för Ehet rätt åhremåle tryta/
Som

Som i Eder swepning och Eder Bagga
från Eder skilt

Dyggligt alt / som plå förleda många Pilt /
Och dygde-mantel i mång lasters lastrova byta?
An meer då bistert alt och afwoigt lödning
göra;

När Lyckans Asia heet begynnar brän-
na på /

Sutan wand / som Guid / will profwet
genom gå /

Och Eder i Dygde-gång en trappa up åth föra.
I må Förälldrar Eder samt Wänner billigst
fåga ;

Sej! HERren tager up en wråken Iri
Swån /

Alf Höga Förmån han snart sättes bland
de Mån /

Som wäl sig dugse giordt med wako / arbet
fråga.

Wår Wänslap Eder Beröm / Herz VZS.HL.
WREND / årnar gömma
För öfrigt hoos sig in / och troligst öns-
ka / att

Eder Gudlig-Öwielheet / flit / snart Må-
let togo fatt !

Sej Pallas nu åth Eder sig mysa fatt at söma !

Wijholm.